DISPVTATIO INAVGVRALIS
De
CONFESSIONIBVS,
Quam
SUB PRÆSIDIO DIVINO
Authoritate & decreto Ampliſſimi JCtorum Ordinis in Incluta Norimbergenſium Univerſitate Altorphina,

Pro honoribus ac Privilegiis Doctoralibus in utroq; jure ritè obtinendis,

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

JOHANNES CABES
NORIMBERGENSIS.

Ad diem 15. Decemb.
ANNO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

---

cIↃ IↃ C XXIIX.

ALTDORPHI,
E Typographia Balthaſaris Scherffij, Univerſitatis Typographi.

383

Digitized by Google

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS
VIRIS
DNN. COSS. AC
CÆTERIS SENATORIBUS IN-
CLUTÆ AC FLORENTISSIMÆ
REIPUBLICÆ NORIMBER-
GENSIS,

*Dominis Mæcenatibus, Patronis ac Everge-
tis meis omni obſervantiæ cultu
proſequendis,*

DISPUTATIONEM HANC INAU-
GURALEM.

In debitæ devotionis & ſubjectionis argumentum

Humiliter offero

JOHANN. CABES.

Digitized by Google

DISPUTATIO JURIDICA De CONFESSIONIBUS.

THESIS I.

CONfeſſio (a) (ut à definitione incipiam) eſt contra ſe facta pronuntiatio, (b) judicatio, *(c)* vel ejus, quod ab adverſario intenditur, facta aſſeveratio. *(d)*

(a) Dicitur à confitendo. Confiteri enim teſte Varrone *lib. 5. de Lat. ling.* idem eſt quaſi fateri id, quod à nobis queritur, ſeu nobis objicitur, & ſic verum eſſe agnoſcere ac teſtari. Ideoq; non mirum, ſi ex tali teſtificatione atq; teſtimonio contra ſe facto, quod ex voluntate confitentis proficiſcitur, nō minus quis convincatur, atq; ſi per teſtium depoſitiones, aliasve probationes convictus fuerit, adeò ut pro convicto & condemnato, nec nō judicato, quaſi videlicet ſemetipſum convincat & condemnet, habeatur, *l. un. C. de confeſſ. cum ſimil.* (b) *Secundum Quintilianum.* (c) *Cujac. in ϖ. C. h. t.* (d) *Vult. lib. 2. I. R. n. 36.* confeſſionem probationem definit. Eſt enim confeſſio etiam ſpecies probationis *ſecundum gl. in l. 1. verb:* quemadmodum *& in auth. ſi quis in aliquo, in verbo:* Probatio *C. de edend. & docet Specul. tit. de probat. §. videndum 3. ubi inter 12. ſpecies ſecundo loco refert confeſſionem Maſcard. de probat. in proœm. quaeſt. 4. n. 15. & q. 7. per tot. Konig in Proceſſ. c. 12.* quod *probatur in l. Imperator 29. ff. de prob. in l. 1. §. fin. ff. de interrog. in jur. fac. & c. l. cum te 5. C. de tranſact. in Clem conſtitutionem 4. circa fin. ibi:* Probationem factam, ſuper his per adverſarii confeſſionem &c. *de elect. & in c. cum ad Sedem 15. extr. de reſtit. ſpol. in c. per tuos 10. ext. de probat.* Interim non nego multos in ea eſſe ſententia, confeſſionem probationis ſpeciem non eſſe, ſed relevationem magis ab onere probandi, quando in confeſſum nullæ ſint partes judicis quàm executio *d. l. un. C. h. t.* Et ſic pars ſeu ſpecies potius erit rei

Digitized by Google

judicatæ & executionis, *l. fin. C. de execut. rei jud. l. poſt rem 56. ff. de re jud. cum ſimilib.* Et hæc cauſſa eſt, cur Titulus de Confeſſis, tam in C. quàm in ff. materiæ judicati atq; executionis ſubjiciatur, non æquè materiæ ſeu titulo de Probationibus. Et hanc opinionem amplectitur *gl. in l. ſed et ſi 11. § fin. in verbo.* Probatum, *ff. de jurejurand.* quam *Felinus n. 6. & Dec. n. 4. in rubr. ext. de probat.* communem vocat. Verùm licèt confeſſio adverſam partem relevet ab onere probandi, nihilominus tamen, tam quo ad partes, quàm quo ad judicē, vera eſt ac propria probatio, non ſecus atq; jusjurandum, ut communiter etiam tradere ſolent Dd. & conſtat ex *c. Paſtoralis 4. ext. de except. & ex. c. fin ext. de his quæ vi met. &c.* Et hanc opinionem veriorem vocat *Soarez de communib. opin lit. C. n. 223.* Et facit pro ea, quòd non minus per confeſſionem atq; per alias probationes veritas eruatur, & effectus probationis in eſſe deducatur *c. fin. ubi gl. de confeſſ. in 6to* & ita per eam, non ſecus atq; per alias probationes, res & controverſia ante dubia, fit certa & clara, & judex ad certam proferendam ſententiam, vel ex ſola, ut plurimum confeſſione, inſtruitur & impellitur. *c. cum ſuper 2. ext. de confeſſ.* Imò ajunt communiter Dd. nullam majorem eſſe probationem, quàm oris proprii confeſſionem & eſſe probationem probatam, à qua appellari non licet, adeoq; certiorem, veriorem, potentiorem eâ quæ fit per teſtes, vel per inſtrumenta qualiacunq; *Maſc. d. q. 7. n. 3. 5. & 6. Lanfranc. in pract. c. 7. in t. Sichard. ad rubr. n. 9. C. de probat. Gail. lib. 2. obſ. 106. n. 2.*

II.

Eaq; vel Judicialis eſt, vel Extra judicialis. (a)

(a) Maſc. d. q. 7. n. 7. Weſemb. in ꝑ. ff. de confeſſ. n. 2. Em. à. Rosb. in proceſſ. civ. tit. de confeſſionibus 65. n. 2. Ill. Umm. D. ad proceſſ. 13. th. 8. n. 38. Rob. Marant. in ſpec. part. 6. act. 5. per tot.

III.

Judicialis eſt, quæ fit in jure judiciove, (a) coram judice competente, (b) & pro tribunali (c) ſedente. (d)

(a) l. certum 6. ff. h. t. Dico in jure judiciove, quia ea quæ extra locum judicii, licèt præſente judice aut Magiſtratu, fit, judicialis non

Digitized by Google

non eſt, *arg.d.l.poſt rem.56.ff.de re jud.Br.in d.l.un.C.h.t.n.6.cum ſeq. Marant.d.loc.n.30. Don.lib.28.com.I.C.c.1.in verb.jure. ll.Umm.d.D.th.9.n.37.& Dd.magis communiter.* (b) Si enim quis aliquid fateatur apud judicem, qui ea de re judicare non poteſt, & apud judicem non ſuum, in cujus jurisdictionem non conſenſit, non magis ſibi præjudicat, atq; ſi extra judicialiter illud confeſſus eſſet, *c.etſi clerici 4.extr.de jud.c.3.ext.de conſuetud.* Et ratio eſt, quia talis judex, quo ad ipſum habetur pro privato. (c) An der Gerichtsſtell/ ubi habetur judicium, in formâ ſeu figurâ judicii, adeoq; ſi non fiat in loco congruo & competenti, confeſſio apud judicem, ubicunq; aliâs, & quantumvis ſolenniter & teſtatò fiat, tantam tamen fidem non facit, ut ſtatim pro judicato ſit, & ſic proferenti plenè noceat, *Maſc.d.q.7.n.26.* Ratio poteſt eſſe, quia non videtur quis tam ſeriò de induſtria loqui aliquid & fateri, utq; intelligitur is facere, qui in loco judicii & ſedente judice fatetur: idq; propter loci & judicii fidem & auctoritatem Magiſtratus; quod tamen maximè accipiendum in cauſis requirentibus plenam cauſæ cognitionem, uti de communi teſtatur *Marant.d.part.6.act.5.n.20.* Regulariter ergò confeſſio fieri debet in judicio apud Magiſtratum competentem & congruum, & pro tribunali ſedentem, ad id ut noceat confitenti, & plenè probet, quod *Bart.in d.l.un.C.h.t.circa fin.* extendit etiam & intelligit in arbitro, cujus ſententiam veriorem aſſerit *Marant.d.act.5.n.31.* quando videlicet procedit juris ordine ſervato ad inſtar judicis, cum arbitraria hodiè ſint homologata *l.1.ff.de recept.q.arbit.recep.* atq; recentiores hoc affirmare dicit *Maſc.de prob.concluſ.348.n.14.& concluſ.344.n.10.* Sed quid ſi à judice cauſa alicui fuit commiſſa, an in confeſſione coram commiſſario facta ſit idem? Quod puto, quando tamen facta fuit cœteris paribus, idq; innuit etiam *M. Ant. Blanc. de compromiſſ.q.4.verſ.3.n.9.* (d) Non ergo ambulante, aut iter per locum judicii faciente *ſecundum gl.fin.in l.4.ff.de interrog.in jur.fac.& in c.fin.ext.h.t.Maſc.d.concluſ.348.n.24.*

IV.

Extra judicialis, quæ fit apud probos & fide dignos homines, extra judicium. (a)

Roſb. d. t. 65. n. 2. Die auſſer deß Gerichts geſchicht / vel inter vivos vel in ultima voluntate, quocunq; in loco, ſive publico ſive privato.

V.

Utraq;, tam Judicialis quàm Extrajudicialis, eſt vel expreſſa, vel tacita:

VI.

Expreſſa eſt, qua quis expreſſis verbis, rem de qua controverſia eſt, fatetur.

VII.

Tacita, qua quis non reſpondendo ad id quod ab adverſario infertur, illud ipſum confiteri præſumitur. (a)

(a) Quod fit variis modis: veluti ſi quis paciſcatur de crimine, fateri videtur illud à ſe perpetratum eſſe *l. quamvis 19. C. ad L. Iul. de adult. Gail. lib. 2 obſ. 102. n. 15.* Item ſi contumaciter abſit à judicio, & in contumaciam ſe condemnari patiatur, aut etiam fuga accuſationem criminis declinet, pro confeſſo & convicto habetur, item ſi ad objecta adverſarii non reſpondeat, aut judici interroganti reſpondere nolit, tacitè id, ad quod non reſpondet, fateri videtur *l. de ætate 11. §. qui tacuit 4. & §. nihil intereſt 7. ff. de interrog. in jur. fac.* textus eſt *expreſſus in c. 2. h. t. in 6to ubi etiam gl. Gail. lib. 1. obſ. 80. n. 1. Mynſing. cent. 1. obſ. 92. & cent. 6. obſ. 92.* In criminalibus tamen ſi reus præſens eſt, & ad articulos, poſitiones &c. recuſat reſpondere, non ſtatim habetur pro confeſſo, referente *Mynſingero conſil. 21. n. 10. & Anton. Cap. decis. Neapolit. 60. n. 2.* imò ut reſpondeat vel per comminationem torturæ, vel etiam eà adhibitâ cogi poteſt, tam in judicio inquiſitionis, ut in puncto homicidii refert *Clar. lib. 5. recept. ſent. q. 45. n. 6.* quàm accuſationis proceſſu *Farinat. q. 37. n. 177. Muller. lib. 2. ſemeſt. c. 23. ubi ita Lipſiæ judicatum adſerit.*

VIII.

Confiteri poſſunt omnes, quorum cauſa propria eſt, vel quos res principaliter concernit, (a) ſanæ mentis (b) vigintiquinq; annis majores. (c)

(a) Non

(a) Non igitur confeſſio alterius mihi nocebit. Confitenti enim non alteri præjudicat, *auth. quod obtinet C. de probat.* quemadmodum confeſſio mea in præjudicium tertii trahi, & ita eidem nocere non debet, Cum eo enim nihil eſt actum *l. Seia. 28. in pr. ff. ad Sc. Vellejan. l. transactione 26. C. de transact.* & ſuadet ratio, quod nemo alteri jus ſuum auferre, & iniquam conditionem inferre debeat, *per vulgat. & tradit Maſc. de prob. concluſ. 386. n. 1. & 2.* Interim tamen negandum non eſt, quin alieno nomine confiteri poſſint, quibus nominatim illa confeſſio demandata. Quales ſunt procuratores, ſpeciali mandato inſtructi *l. 20. in pr. ff. de interrog. in jur. fac. Cyn. in d. l. un. C. h. t. Don. lib. 28. com. c. 1. Maſc. concluſ. 369. n. 1.* cùm paria ſint per ſe, vel per alium quid facere: proinde ſi confeſſio per procuratorem aut advocatum ſciente clientulo in ipſa litis conteſtatione facta fuerit, perinde, erit, ac ſi per ipſum facta fuiſſet *l. 1. C. de err. advoc. Maſc. concluſ. 381.* Verùm hæc in criminali non obtinere probat idem *Maſc. d. concluſ. 369. n. 13.* Item ſi dominus confeſſionem à procuratore vel advocato factam, vel in totum vel pro parte revocavit, quod, licèt ſecundum quoſdam, uſq; ad triduum fieri debet *l. fin. ubi gl. verbo contradixiſſe C. de err. advoc.* ex communi tamen opinione, probato errore, uſq; ad ſententiam fieri poteſt *l. 2. ff. h. t. & c. fin. text. eod.* ut tradit *Maſc. d. concluſ. 369. n. 2. cum aliquot ſeqq. & d. concluſ. 381. n. 2. cum ſeqq. Ant. de Padilla ad l. error. 10. ff. de jur. & fact. ign.* Cœterum confeſſio tutoris & curatoris non nocet pupillis & minoribus *d. l. 6. §. 4. ff. h. t.* niſi tamen neceſſitate eis impoſitâ confeſſi fuerint, quod fit, quando tenentur libello aut poſitionibus reſpondere *l. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 2. §. quod obſervari 2. C. de jurejur. propt. calum. Maſc. concluſ. 370. n. 2.* Plura de confeſſione tertii, puta debitoris, creditoris, lædentis, offenſi &c. poſt alios *vid. Maſc. concluſ. 372. cum 269. ſeqq. & concluſ. 389.* (b) Furioſus enim & mente captus fateri nequit, cum ejus nulla ſit voluntas *l. furioſi 40. ff. d. R. I.* & abſentis loco habeatur. (c) Nam qui infra illam ætatem ſunt, fateri quoq; non poſſunt. Quod de infantibus indiſtinctè verum eſt, *arg. §. pupillus 9. I. de inut. ſtip.* Circa reliquos diſtinguendum eſt, ut pupilli quidem non niſi accedente tutoris auctoritate rectè fateantur, *d. l. 6. §. in pupillo 5. ff. h. t.* Minores verò extra judicium, (nam in judicio abſq; curatore verſari nequeunt, *§. 2. I. de curat.*) confiteri poſſint: ſed ſuccurratur ipſis reſtitutione

Digitized by Google

tione in integrum *d. l. 6. §. 5. Maſc. concluſ. 375. n. 2. & 3. add.* Weſemb. *in π. ff. h. t. n 3. Roſb. d. t. 65. n. 8. Ill. Umm. d. D. th. 9. n. 40.* aliter rem hanc explicantes. Et hæc in civilibus non tantùm, ſed etiam in criminalibus, unde ſi minor ex leviori fortaſſe culpa deliquit, puta ex imperitiâ, ex ſimplicitate vel ſimili modo, & illud ipſum confeſſus fuit, ei ſuccurritur *l. ſi ex cauſa 9. §. nunc videndum 2. verſ. ſed ſi ff. de minor l. 1. C. ſi adverſ. delict. ubi & gl. fin. in l. fin. l. 4. C. de autorit. præſt. Franc. de Cald. ad l. 3. C. de in integr. reſt. minor. verſ. vel adverſarii dolum n. 48. Oddus tr. de in integr. reſt. part. 2. q. 78. artic. 5. n. 32. & maximè q. 65 artic. 7. 8. 9.* ubi pro & contra latius differit & diſtinguit, quo etiam me brevitatis ſtudio remitto. Illud ſaltem addo ſi delictum dolosè commiſſum minor confeſſus fuerit, puta furtum, homicidium &c. quod tum adverſus confeſſionem non veniat reſtituendus, quia hîc Ceſſat æquitas reſtitutionis, & malitia ſupplet ætatem *l. 3. C. ſi minor ſe major dix.* imò ſerò implorat auxilium legis, qui dolo in leges peccat, *l. auxilium 37. ff. de minor. & hoc probatur l. 9. § 2. & pen. & d. l. 37. ff. de minor. & d. l. 1. C. ſi adverſ. delict.* Hinc quotidie videmus, quòd etiam minores adulti ſeu adoleſcentes, ob ſuſpiciones contra ſe militantes, non tantum ad eruendam veritatem terreri poſſint & quæſtioni ſubjici *l. 1. §. impuberi 33. ff. eod. SCtum Syllan. Proſp. Form. q. 41. n. 17.* Sed & confitens delicta, puniri: E. G. ſi adultus 20. annorum fateatur ſe furtum commiſiſſe, & de eo conſtet aqueo & ſic pœna ordinaria puniri poteſt, etiamſi in junioribus, puta qui 15. ſunt annorum, habita ætatis ratione pœna ut plurimum mitigetur *d. §. 33. ubi Dd. Gomez. tom. 3. c. 1. n. 62. cum ſeq. Tiraq. de pœn. temper. cauſa 7. per tot. & cauſ. 44. n. 43. cum ſeqq.* Imò etiam impuberes confeſſi aut convicti, pubertati tamen proximi & doli capaces, pro qualitate delicti habena ferulave cædi ſolent, *d. l. 1. §. 33. ubi Dd. Tiraq. d. cauſ. 7. n. 9.*

IX.

Materia eſt res ſive factum controverſum, (a) quod neq; naturæ, (b) aut juri, (c) neq; confitentis favori (d) adverſatur.

(a) Ut igitur confeſſio ſubſiſtat, res aut factum controverſum eſſe debet *l. confeſſionibus 13. ff. de interrog. injur. fac. &c.* Hinc ubi lis nulla

nulla eſſe poteſt, ut inter patrem & filium, dominum & ſervum, ibi & confeſſio erit nullius momenti. (b) veluti ſi quis condemnaretur, ob rem quæ in rerum natura nunquam fuit *l. fin. ff. h. t.* Sic ſi quis Titium occidiſſe confiteatur, qui adhuc vivit, ob confeſſionem hanc L. Aquilia conveniri non poteſt *l. inde 23. §. fin. ff. ad L. Aquil.* Plura exempla referuntur *in d. l. 13. cum l. ſeq. ff. de interrog. in jur. fac. & à Maſc. in proœm. de probat. q. 7. n. 32. & 33. Don. lib. 28. com. c. 1.* (c) Sic contra jus & leges confeſſio facta, quod non noceat aut probet, traditur *in d. l. 14. §. fin. ff. de interrog. in jur. fac. & c. & in l. jurisgentium 7. §. ait Prætor 7. & §. generaliter 16.* Ubi expreſsè dicitur, quod de iis quæ contra jus fiunt, non poſſit quis paciſci aut ſtipulari, vel aliud quid agere *ff. de pact. & c. fin. ext. d. t. de pact. l. non dubium 5. C. de ll.* Sic ſi quis ex Chriſtianis, ſe cum Judæa contraxiſſe matrimonium fateatur nihil ſibi præjudicat, cum ſit contra *can. cave 15. cauſ. 28. q. 1. à Maſc. d. q. 7. n. 42. cum ſeq. & latius concluſ. 387.* (d) Hujus rei exemplum traditur in Abrahamo, qui contra jus & favorem matrimonii, vocavit Saram uxorem, ſororem ſuam, & ita ſibi non præjudicavit *Gen. c. 20.* & facit *c. ex literis 5. ext. de divort.* Alia & plura exempla & præſertim in ingenuo, qui ſe vocavit ſervum refert *Maſc. d. q. 7. n. 36.* quod tamen exemplum rejicit, *Il. Umm. d. D. th. 10. n. 44.* Superioribus adjungenda confeſſio contra notorietatem & veritatem facti, quia & hæc inanis eſt & nihil probat. Veritas enim & rerum ſubſtantia non immutatur falſa confeſſione, denominatione aut demonſtratione, ut dicitur *in l. cum falſa 5. C. de jur. & fact. ign.* Puta ſi quis equum vocaret aſinum, ſic ſi quis fateretur bona materna, quæ eſſent paterna *d. l. 5.* aut caſtrenſia, quæ non eſſent caſtrenſia *l. ſi fortè 8. ff. de caſtrenſ. pecul. l. inſulam 6. ff. de præſcript. verb. l. aſſumptio 6. ff. ad. Municip.* Quare inſpecta falſitate, talis confeſſio ex rei veritate, ſalvari poteſt, licet talis confeſſio de ſcientia utriuſq; partis ſit facta, ratio eſt, quia partes non poſſunt facere, ut illud quod eſt maternum ſit paternum &c. aut ſi confeſſio talis pro parte tantum ſit falſa, quia in totum tunc falſa præſumitur per allegata *à Maſc. concluſ. 384. n. 2. & 3.*

X.

Forma confeſſionis in genere eſt, quod fieri debeat ſcienter, (a) non errore, (b) & liberè, abſq; tormentis

B & metu;

Digitized by Google

metu; (c) verbis minimè ambiguis, (d) & expreſſa idonea confeſſionis ratione atq; cauſa. (e)

(a) Proinde ut confeſſio aliquem conſtringat, neceſſum eſt, eam à ſciente promanaſſe. Quod ſi factum fuerit, in diſtinctè is obligatur, ita ut confeſſionem factam revocare nequeat, ſive verum, ſive falſum confeſſus ſit, modo id vel per rerum naturam, vel de jure ſaltem verum eſſe poſſit, *l. ſi is 4. l. certum 6. §. ſed. & 2. ff. h t. Don. d. lib. 28. com. c. 1.* (b) Etſi vero omnia vera magis, quàm in eis error commiſſus præſumatur, cùm vitium facti ſit, & proinde allegandus non tantum error, ſed & probandus. *l. ſi poſt 4. C. de jur. & fact. ign. Alciat. reg. 3. præſumpt. 21. n. 1. Maſc. concluſ. 636. n. 1. & concluſ. 637. n. 1.* Veruntamen ſi probabilis eſt error, rectè revocatur, quia non fatetur qui errat *d. l. 2. ff. h. t. c. fin. ext. eod. l. error. 7. C. de jur. & fact. ign.* Probabilis autem & juſtus dicitur, quando quis errat in facto alieno, qui ſemper eſt revocabilis, cùm alieni facti ignorantiam magis quis, quàm ſcientiam habere dicatur *l. verius 21. ff. de prob. cum ſimilib. Menoch. lib. 6. præſumpt. 23. n. 51.* Verùm licet error in facto proprio non præſumatur, *l. fin. ibi Gothofred. in not. ff. pro ſuo l. quanquam 7. ff. ad SCtum Vellejan.* & ſic juſtus non exiſtimetur, nec admittendus, ne dum error juris *l. 2. ff. h. t.* quod jus aliàs nemo ignorare debet, & qui ignorat in dolo aut lata culpa eſſe dicitur, *c. qui contra 82. de R. I. in 6to Maſc. concluſ. 636. n. 11. & concluſ. 639. n. 12.* admittitur tamen erroris allegatio & probatio hìc non tantum in juris errore, puta in aliquibus caſibus ex conjecturis & præſumptionibus, de quibus *Menoch. d. præſumpt. 23. à n. 16. uſq; ad n. 51. & Maſcard. d. concluſ. 639. n. 4. cum ſeqq.* Sed & in facto proprio, puta quando quis es perſuaſione adverſarii, aut ex fama publica inductus fuit, ut erraret *l. 3. ff. pro ſuo* Maximè in antiquis, & quando agitur de damno vitando *l. 7. & l. 8. ff. de jur. & fact. ign. Maſc. d. concluſ. 636. à n. 6. uſq; ad 11. & concluſ. 637. n. 14. & 18 Menoch. d. præſumpt. 23. n. 37. & ſeqq. Em. Roſb. d. t. 65. n. 15. 16. & 17. add. Umm. d. D. th. 10. n. 46.* In his ergò caſibus non ſolum in judicio ante ſententiam error confeſſionis revocari licitè poteſt, ſed etiam poſt ſententiem per viam reſtitutionis ex generali clauſula, ſi qua mihi juſta cauſa videbitur &c. (c) Quæ enim per metum, fraudem, vim extorquetur confeſſio, nõ valet *can. ſi quandoq; 1. cauſ. 15. q. 6. c. Lotharius*

tharius 4. cauſ. 31. q. 2. Verùm hoc intelligendum eſt in cauſis civilibus, non æq; in criminalibus, in quibus licitum eſt, ut præcedentibus indiciis extorqueatur confeſſio *l. 1. §. ſi quis 27. ff. de quæſt.* Quæ materia cum valdè quotidiana ſit, bene notanda erit & paucissimis examinanda. Dixi, præcedentibus indiciis, quia ut per tormenta confeſſio fit valida, omninò requiritur, ut præcedant indicia ſufficientia, aut aliæ ſuſpiciones contra confitentem militantes, aliàs ſi quis nullis aut non ſufficientibus indiciis præcedentibus, in tortura delictum aliquod confeſſus fuerit, puta furtum, homicidium &c. ea confeſſio nulla eſt & nihil probat & ſic confitenti non præjudicat ad condemnationem, *l. 1. §. 1. l. Divus 9. ff. de quæſt. gl. in l. ante pen. in verbo à* quæſtionibus *ff. d. t. Clar. lib. 5. recept. ſent. q. 55. n. 14. Maſc. concluſ. 351. n. 1. & concluſ. 353. n. 1. & 4. Farin. q. 37. n. 100.* quod etiam probat conſtitutio Carolina criminalis *art. 6. 19. & maximè 20.* etiamſi quis perſeveret in illa confeſſione, ſine indiciis præcedentibus facta: *per gl. in d. l. ante pen. Boër, deciſ. 90. n. 10. Gomez. tom. 3. c. 13. n. 25. Clar. d. lib. 5. §. fin. q. 64. n. 39. d. artic. 20. in ordin. crim.* Deinde præcedentibus etiam indiciis, non ſufficit ſola confeſſio, ſed neceſſum eſt, ut illa poſteà à confitente, extra dolorem & metum conſtituto, altero tertiove poſt torturam die, ratificetur, atq; is conſtanter in ea perſeveret, *l. 2. ubi Salycet. C. de cuſtod. reor. Boër. deciſ. 163. n. 18. Gomez. d. cap. 13. n. 8. & conſtat ex ordin. Imp. crim. art. 56. Maſc. concluſ. 353. n. 2. 11. & 12. & concluſ. 355. n. 1.* Deniq, requiritur, ut ſimul de certitudine delicti conſtet. Quemadmodum enim in civili cauſa ex confeſſione pro judicato non habetur, niſi qui certum eſt confeſſus *d. l. certum 6. ff. h. t.* ita multò magis in criminalibus, in quibus exigitur non tantum certitudo delicti, ſed etiam interdum quo in loco & quomodo perpetratum, *l. 1. §. Si quis 27. ff. de quæſt. l. inde 23. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. item 24. ff. ad SCt. Silan. Clar. d. lib. 5. ſent. recept. q. 4. n. 1. Gab. Rom. tit. de maleſic. concluſ. 17. & facit. conſtit. Imp. artic. 6. & 20.* Quod non tantùm obſervari debet in confeſſione vi extortâ, ſed etiam in ſpontaneâ & libera puta, ſi quis ultrò fateatur, ſe hominem occidiſſe & in mare projeciſſe, quæritur an ejus confeſſioni ſtatim fides ſit habenda, & is eapropter condemnandus? Reſpondendum; quod non: multi enim delictum confeſſi ſunt, qui poſteà reperti fuerunt

388

Digitized by Google

innocentes, *ut tradit Ioh. Georg. Gedelm. lib. 3. de Magiæ. 7. n. 13. cum ſeq.* Poteſt enim eſſe, ut quis ex impatientia, ex tædio vitæ, vel metu tormentorum aut alia de cauſa quid fateatur, quod nunquam factum fuit, *d. l. 1. §. queſtioni 23. & §. ſi quis 27. l. 6. de appellat. l. 3. §. ſi quis 4. ff. de bon. eor. qui ant. ſent. Boër. deciſ. 164. n. 9. cum ſeqq. Maſc. concluſ. 354. per tot. & concluſ. 1073. cum tribus ſeqq.* Et hæc in delictis permanentibus, ut vocant id eſt quorum veſtigia ſemper durant, ut eſt furtum, homicidium, incendium &c. Sed quid in tranſeuntibus, ut eſt adulterium, in quibus major occurrit difficultas, quomodo certitudo haberi queat, pone; Titiam aut liberè aut vi tormentorum confeſſam eſſe in judicio, ſe cum Cajo ſtuprum aut adulterium perpetrâſſe, jam Cajus negat factum & in negando hic, illa in affirmando perſeverat: quæritur ergò an confeſſio illa noceat Cajo? Deinde an noceat Titiæ, ita ut puniri poſſit, & quomodo? Ad priorem quæſtionem breviter ℞. *Si* nulla alia contra Cajum adſint indicia, præterquam ſola nominatio aut incuſatio Titiæ, quod hæc obeſſe non debeat Cajo: confeſſio enim ſuper crimine facto ſibi non aliis debet præjudicare, *gl. in c. ſignificaſti 5. ext. de adult.* Ad alteram quæſtionem quæ majoris eſt momenti, itidem paucis dicendum: Titiam hoc in caſu puniendam quidem eſſe, ſed pœnâ extraordinariâ & mitiori, puta fuſtigatione, relegatione, vel alia pro qualitate perſonæ & indiciorum. Solæ enim confeſſiones reorum, pro exploratis facinoribus haberi non debent, ſi nulla alia probatio religionem cognoſcentis inſtruat, ut dicitur *in l. 1. §. Divus 17. ff. de queſt.* & illud ratione non caret, quando ex præſumptionibus licet evidentiſſimis nemo ordinariè ad mortem condemnari debet. *Möller. ad conſt. 37. part. 4. n. 4.* (d) Verbis claris, non obſcuris, & ambiguis *d. l. de ætate 11. §. nihil 7. ff. de interrog. in jur. fac. &c.* Verbis enim generalibus, ut puta ſi dicatur: ſum debitor tuus, facta confeſſio non valet, neq; probat; quemadmodum neq; tunc, quando quis in confeſſione narrativis ſaltem, non etiam diſpoſitivis verbis utitur. E. G. Si dicam, Es mag wol ſein/ daß ich dir ſchuldig bin. Talia enim non probant, *c. fin. ubi canoniſtæ ext. de ſucceſ. ab inteſt. Marant. d. act. 5. de confeſſ. part. 6. n. 4. Maſc. d. concluſ. 346. n. 17. & concluſ. 388. per tot.* Hinc ſi dicatur ut ſæpe fieri ſolet; Was mein Schreiben oder Handſchrifft

ſchrifft

ſchrifft außweiſſen wird / das will oder muß ich dir geſtändig ſein/ rc. talis confeſſio relativa, non prius aut aliter probat, quàm ſi de relato conſtet *per l. 2. C. de error. advoc. l. demonſtro. 17. §. 1. ff. de condit. & demonſt.* Deinde etiam exigitur, ut conferſio ſit ſeria, non incidenter, aut jocosè facta, E. G. Si petas à me 100. mutuo, ego cum tibi gratificari nolim, excuſandi aut magis exonerandi animo dico, me 200. florenos antea à Titio, tunc præſenti mutuaſſe, & ſic mihi pecuniam in promptu non eſſe. Nunc ſi Titius vellet talem confeſſionem acceptare & contra me agere, fruſtra experiretur, per tradita poſt *Salycet. add. l. un. C. de confeſſ. à Maſc. concluſ. 345. n. 25.* (c) E. G. Si petam à te 100. ex mutuo vel ex vendito, & tu fatearis te iſta centum ex illa cauſa debere, hîc cum adſit quantitas & cauſa obligationis, res expedita eſt & clara, *l. certum 6. l. certi 9. ff. de R. C. quod latiſſimè examinat per ampliationes & limitationes Maſc. concluſ. 345. per tot.*

XI.

Judicialis confeſſionis in ſpecie forma illa eſt, quod in judicio, coram judice competente (a) & præſente adverſario, fieri (b) debeat.

(a) *de quo ſupra th. 3. per tot.* (b) tempore factæ confeſſionis, ut conſtat *ex d. l. certum 6. §. Si quis 3. ff. h. t. c. 2. ubi gl. ext. eod. l. fin. ff. de interrog. in jur. fac.* modò ipſe præſens ſit, ſive etiam per conſortem litis, aut etiam per procuratorem, tutorem & curatorem *d. l. 6. §. 3. Maſc. concluſ. 348. n. 29. Don. d. lib. 28. com. c. 1. Ill. Umm. d. D. th. 8. n. 38.* Verùm hoc non procedit in cauſa criminali, ibi enim talis confeſſio nocet & probat, adeoq; indicium facit ad torturam, cùm judex ibidem propter utilitatem publicam, & ne delicta maneant impunita, præſentiam partis ſuppleat. *Maſc. d. concluſ. 348. n. 50. & concluſ. 347. n. 119.* Sic quando eſſet jurata, ex æquitate nimirum canonica & in foro pœnitentiali, *per gl. ſingularem in can. quoties verbo:* promitto *c. 1. q. 5.* valet confeſſio, etiam parte abſente facta *Socin. R. I. 49. fallent. 2.* Sic quando facta eſſet in ſcriptis, in libello, in judicio exhibito, in poſitionibus, exceptionibus, & ſimilibus, quia tum parte abſente facta etiam probat *per tex. & gl. in l. cum precum 9. C. de lib. cauſ. c. fin.*

Digitized by Google

c. fin. de jurejur. in 6. Maſc. d. concluſ. 348. n. 48. Socin. d. loc. fallent. 1. ratio eſt, quia quæ in ſcriptis rediguntur & judici porriguntur, recipit hic nomine partis & parti exhibet, quo facto non mirum ſi talia ſcripta præjudicent. Hinc cauti advocati pro majore ſecuritate, ſemper ſolent ejusmodi confeſſiones ſtatim & in continenti acceptare *gl. in l. 2. ff. de O. & A. & in l. 1. ff. de contrah. empt.* Uti quotidie fieri videmus, hac vel ſimili formulâ: Vnd will anfenglichen Kläger oder beklagter / alles das jenige / was vom gegentheil / in ſeinem einbringen / jhme zum beſten eingereumbt vnd geſetzt / Gerichtlich vor geſtanden vnd bekandt angenommen / vnd acceptirt haben / Inſonderheit aber acceptirter ꝛc. qualiscunq; jam ſit confeſſio & conceſſio. Aliâs dici & præſumi poſſet, quod tacendo neglexerit, aut repudiarit, illam confeſſionem, ſive tacitè eidem renunciatum fuerit, per allegata à *Maſc. concluſ. 349. n. 13.* quanquam partis acceptatio in confeſſione parte præſente, vel in vel extra judicium facta, non adeò neceſſaria videatur, ex eo quòd tendat in favorem partis præſentis, unde præſumitur acceptata, *arg. l. qui patitur 18. ff. mandat. & per tradita à Maſc. d. concluſ. 345. n. 13. & d. concluſ. 346. n. 14. cum. ſeq.*

XII.

Finis confeſſionis idem eſt, qui & aliarum probationum, (a) ut videlicet veritas, ſine longioribus ambagibus eruatur. (b)

(a) Confeſſionem ſpeciem quandam probationis eſſe, ſupra dictum eſt *th. 1. lit. D.* (b) *d. c. 1. ubi gl. & Dd. de confeſſ. in 6.* W*eſemb. in tit. ff. h. t. n. 5.*

XIII.

Effectus in genere eſt, quod contra confitentes (a) eorumq; heredes, non pro iis probet. (b)

(a) Quando enim quis confitetur aliquid pro ſe, & in ſui utilitatem vel commodum, id nullius poteſt eſſe ponderis. Quemadmodum enim nullus teſtis aut judex poteſt eſſe in cauſa propria, *l. nullus 10. ff. de teſtibus l. omnibus 10. C. eodem l. qui jurisdictioni 10. ff. de jurisdict.*

Google

Juriſdict. cum ſimilibus ita nec confeſſio pro ſe ultrò ſine judicis inſtantia facta *can. nullus c. 4. quæſt. 1.* at contra ſe rectè probet & nocet, *d. l. de ætate 11. §. 1 ff. de interrogat. in jur. fac. & c. l. 7. C. de prob.* (b). Niſi fortè in articulo mortis confeſſio facta fuerit, tunc enim pro confitente ejusq; heredibus præſumptionem in ducit, quod nemo eo tempore mendacium dicere præſumatur *Weſemb. in π. ff. h. t. n. 10.*

XIV.

Judicialis verò confeſſionis effectus in ſpecie eſt, quòd ſi in cauſa civili, (a) de univerſalite facta ſit, vim judicati habeat, (b) ſi verò ſuper parte, quo ad partem illam loco plenæ probationis ſit. (c)

(a) Aliud enim obtinet in cauſa criminali *l. 1. §. Divus 17. ff. de quæſt. Don. d. lib. 28. com. c. 1. in fin.* ubi delictum confeſſus, non ſtatim pro judicato habetur, *vid. S. th. 10. lit. C.* (b) De hac itaq; confeſſione pro regula tenendum, quod ea probet & confitenti noceat, tantæq; ſit efficaciæ, ut vim ſententiæ & rei judicatæ habeat, adeoq, nihil niſi executionem expectet *d. l. un. C. h. t. l. 1. & 3. in fin. ff. eod. l. 56. ff. de re jud. l. fin. C. de execut. rei jud. c. 1. de confeſſ. in 6. c. 10. ext. de probat. cap. fin. de reſtitut. ſpol. & per alios text. & authoritates allegg. à Maſc. d. concluſ. 348. n. 1. & 2.* Sed his obſtare videtur *l. qui ſtichum 5. & l. ult. ff. h. t.* in quibus dicitur confeſſum condemnandum eſſe: de qua pugna videri poſſunt. *Weſemb. in π. ff. h. t. n. 8. ll. Umm. d. D. th. 11. n. 50. Joh. Ferr. Montan. de jud. præ exercitam. c. 4.* (c) Quinimmò ſuperveniens hæc, omnes alias probationes infringit & deſtruit, nec non præſumptiones juris & de jure tollit. *Marant. de act. 5. part. 6. n. 21. cum ſeqq. Maſc. in procem. de prob. d. quæſt. 7. n. 11. & concluſ. 344. n. 2. Lanfranc. in pract. cap. 7. in princ.* Ut non immerito confeſſio hæc paſſim à Dd. dicatur, probatio probata, probatio pleniſſima, certiſſima. *uti ſupra in definit th. 1. in fin.* Neq; refert ſive facta ſit in judicio valido, ſive invalido, aut etiam ex defectu proceſſus vel ſententiæ, fortè propter ordinem juris non ſervatum, vel aliàs nullum *cap. 1. & 2. de accuſat. in 6. c. bigamus text. de reſtitut. ſpol.*

cum

Digitized by Google

cum ſimilibus alleggat. à Maſc. concluſ. 357. Hujus ratio reddi poteſt, non tantùm quod utile per inutile, non vitietur, *cap. utile de R. I. in 6. Gail. lib. 2. Obſ. 4. n. 8.* Sed & quod quilibet ex ſuo facto poſſit conveniri, *l. negantes 9. C. de O. & A.* Cui etiam contravenire nemo debet. *Guido Pap. decis. 254.* Maximè cum acta in uno probent etiam in alio judicio, *l. acta 45. ff. de re jud.* Deinde nihil intereſt, ſive confeſſio viva voce expreſſa ſit in judicio, ſive ſcripto, puta per ſupplicationem, per Epiſtolam, per libellum in articulis, in poſitionibus, interrogatoriis, vel aliàs apud acta dicta; Was auß dem Mund in die Feder dictirt vnd verſetzt / oder ſonſten in Schrifften Gerichtlich eingebracht wird / *per d. l. cum precum 9. C. de lib. cauſ.* Quod cum ſuis ampliationibus & limitationibus, tradunt, *Lancellot. de off. pretor. in cauſ. civ. tit. de poſitionum reſponſ. Ant. Gab. Rom. tit. de Confeſſ. concluſ. 4. Maſc. concluſ. 368. per totum, quô me remitto.*

XV.

Extra judicialis, quod ſi coram duobus ad minimum probatis teſtibus, ſive inter vivos (a) ſive in ultima voluntate (b) facta fuerit, contra confitentem etiam probet.

(a) *l. generaliter 13. C. de non num. poc. Nov. 90. cap. 2.* Vulgò Dd. extra judicialem confeſſionem, ita demum plenè probare exiſtimant, ſi parte adverſa præſente facta fuerit, aliàs ſemiplenam tantum probationem inducere. *Em. à Rosb. d. t. 65. n. 33.* Sed verius videtur propter dictorum texx. generalitatem, præſentiam adverſarii in extrajudiciali confeſſione non requiri. Id quod & Don. placere videtur *in d. l. 13. n. 4. vid. etiam Maſc. concluſ. 341. n. 58. & Hieron. de Cævallos tract. com. opin. quæſt. 7. n. 3.* qui hanc opinionem magis veram & communem vocant. Et hoc in civilibus; in criminalibus verò indicium tantùm facit ad torturam *Br. & gl. in l. capite 25. ff. ad L. Jul. de adult.* contra ipſum confitentem, non alium *l. etſi 12. C. d. t. l. fin. C. accuſat.* Niſi in tortura dixerit *l. qui ſententiam 16. C. de pœn.* Sed ne ſic quidem adverſus alium ſufficiens indicium facit ad torturam,

tam, immò vix ſufficit ad purgationem inducendam, ut ex *Hoſtienſ.* *& Panormi. docet Weſemb. in tr. ff. h. t. in. fin.* (b) Et ſi quidem mors teſtatoris confitentis inſecuta fuerit, hanc plenè probare tradit *Il. Umm. d. D. 13. th. 12. n. 60.* fortè quia in actibus ultimarum voluntatum, nemo præſumitur eſſe immemor ſalutis æternæ, aut mentiri, ſed veritatem magis dicere *l. fin. C. ad L. Iul. repetund.* Et facit *cap. 3. in Eccleſiaſt. circa fin. cogita mori & non peccabis.* Niſi tamen vergat in præjudicium tertii, veluti quando teſtator in teſtamento, vel in alia ultima voluntate dixerit, Sempronium ſibi centum debere; tunc enim talem confeſſionem, probationem non inducere, tradunt *Maſc. concluſ. 359. n. 18. & 20. Menoch. lib. 5. præſumpt. 5. n. 14. & 15. & Ripa intr. de act. in artic. mort. cap. 28. n. 18. & cap. 29. n. 2.* Quod ſi confeſſio teſtatoris tendat ad exonerationem conſcientiæ, puta ſi relinquat aliquid ob ſua delicta pauperibus, tum vim debiti confeſſati, & tanquam parte præſente acceptati habere, & ſic plenè probare tradunt allegati *à Tiraq. privileg. cauſæ piæ. 177. & poſt eum à Maſc. d. concl. 359. n. 25.* Huic modo dictæ confeſſioni affinis & illa eſt, quæ fit confeſſori ad exonerationem conſcientiæ in foro pœnitentiali, Wann einer dem Beichtvatter etwas Beichtet oder bekennet: Pone Titium Sacerdoti in pœnitentia; ſeu in formâ confeſſionis confeſſum eſſe, ſe homicidium, ſtuprum, adulterium, vel aliud crimen commiſiſſe, hoc patefactum fuit vel ab ipſo ſacerdote vel ab alio, qui fortè talem confeſſionem coram ſacerdote factam audivit, aut etiam interpres ejusdem confeſſionis fuit: Quæritur an talis confeſſio noceat confitenti, & probet in judicio ſeculari, adeoq; propterea puniri debet? negativa placet, quia illa confeſſio dicitur Deo non homini, aut non ut homini, ſed ut ſacerdoti & Dei vicario facta, *c. ſi ſacerdos 2. ext. de off. jud. ordin.* Unde revelans tenetur ad intereſſe & actione injuriarum conveniri poteſt *l. 1. §. ſi quis 38. ff. de poſit.* & ſacerdos incidit in pœnam *c. omnis 12. ext. de pœnitent. & remiſſ.* Proinde ſi & hic in teſtem producitur, non tenetur revelare, quæ in confeſſione audivit, & audacter ſine nota mendacii & perjurii dicere poterit, ſe nihil ſcire, ſe nihil audiviſſe, quod probare conantur dicto Chriſti *Matth. 24.* ubi dicitur: quod neq; Chriſtus ſciat diem judicii, puta ut noſtri interpretantur; ad revelandum. Immò licet ſacerdos in teſtem productus, dicat & de ea deponat

nihil

391

Digitized by Google

nihil probat *d. c. ſi ſacerdos & Maſc. concluſ. 377.* quia facta eſt contra jus, ut ſupra dictum, & regulariter ſacerdos cogi non poteſt, ut ea patefaciat ſeu aperiat, *quemadmodum omnium latiſſimè ea de re agit, Vincent. Carroz. in tr. de revelat. confeſſ.* quò me, ne inſtituto ſive prolixior, remitto Claudat Diſputationem hanc confeſſio morientis; Quidam vulneratus in mortis articulo aſſerit, Titium ſibi vulnus Læthale inflixiſſe, & ſic cauſam mortis dediſſe; vel quidam in crimine veneficii, incendii &c. tempore ſupplicii alias perſonas quaſi ſocias incuſavit & proclamavit: quæſtionis ergò eſt an talis aſſertio vel inculpatio noceat alicui: ita ut ob id vel condemnari vel torqueri poſſit? Verum ut & hîc remiſſivè agatur, judex in his providus & cautus eſſe debet, & ante omnia ex uſu fori attendere, utrum unâ cum tali inculpatione concurrant alia indicia, puta, quod diffamatus Titius repertus fuit in loco illati vulneris, cum gladio evaginato & cruento; item utrum minæ & inimicitiæ præceſſerint, hæc igitur ſi concurrant, puto non tantum ſufficere ad inquirendum, ſed & ad torquendum, quod etiam probat *ordin. Imperii c. 27.* §. Zum Sechſten / *ibi:* So ein beſchädigter auß etlichen / (*quod notandum*) vrſachen jemandt der Miſſethat zeyhet vnd darauff ſtirbt ꝛc. quod ſi deſint alia indicia, vel adminicula, tunc licet nominatio ſola faciat aliquam præſumptionem, & indicium ad inquirendum, non tamen ſufficit ad torturam, nec ad imponendum jusjurandum purgationis, etiamſi confitens ſit probatiſſimæ fidei, aut confeſſio facta cum juramento. Sed ex poſt facto rejicienda, vel ei non credendum eſt, *per l. 3.* §. *Si quis moriens 1. ff. ad SCt. Silan. & per artic. 27. ordin. Imp.* ubi dicitur expreſsè, ſolam hanc nominationem non eſſe ſufficiens indicium ad torturam, ne dum ad condemnationem, & ratio eſt, quia talis moriens, non tantum eſt teſtis unicus, & in propria cauſa, & quaſi inimicus, ſed & quia confeſſio unicuiq; ſua, non alteri obeſſe debet, *per ea quæ tradit Maſc. concluſ. 386.* De qua nobili quæſtione, *poſt Dd. in d. l. 3. §. 1. ff. ad SCt. Silan. & in l. fin. C. ad L. Iul. repetund.* Vid. *Ioh. Georg. Gœdelm. in punĉto veneficii lib. 3. de Magis c. 9. n. 5. uſq. ad fin. Didac. Covarruv. lib. 2. var. cap. 13. n. 8. Menoch. lib. 1. præſumpt. quæſt. 89. n. 81. Maſc. concluſ. 144. & 1078. Fachin. lib. 9. controv. cap. 90. Farinat. quæſt. 46. num. 35. cum ſeqq. Möller. lib. 3. Semeſt. cap. 8. Polydor. Rip. in d. comment. de act. in mort. artic. cap. 16. per totum.*

Præſtan-

Digitized by Google

Præſtantiſſimo & Doctiſſimo VIRO

DN. JOHANNI CABES U. J. Candidato, Amicò ſuo.

UT cumulet Mercator opes ſe fluctibus audet
Credere, & altiſoni murmura ferre maris.
Si bona Fortunæ tanto perſæpè labore
Quæruntur, quæ mox flamma vel unda rapit.
Quærere cur pigeat ſtudio multoq; labore
Quæ bona non ullo ſunt peritura die,
Quæ nec flamma poteſt, rapidus nec perdere Pontus,
Hæc qui non quærit, non ſapit ille, bona.

Lubens faciebat

JOHANNES GERHARDUS

FRAUENBURGus D.

Præſtantiſſimo & Doctiſſimo VIRO

DN. JOHANNI CABES J. U. & Conjugii Candidato.

L*Is inter Themidem nuper Veneremq; ſuborta:*
Te vocat illa ſuum, Te vocat iſta ſuum.
Altera honoribus, altera amoribus occupat; Utri
Te dabis, ut totus unius eſſe velis?
Neutri JANE *puto.* Communia divide jura
Et quacunq; potes parte *placere place.*

Fundebat Altorfi

GEORGIUS NŒSSLERUS D. & P. P.

Princip. Palat. & Reip. Norimb. Medicus.

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google